



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CIX. Der Propst Heidenreich in Brandenburg erlaubt, daß der Pfarrer in Neuendorf mit seinen Söhnen gewisse jährliche Einkünfte in Schmerzke kaufen darf, im Jahre 1286.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

quam in presentia procuraciones a venerabilibus in Christo patribus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis et a dilectis nobis in Christo clericis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelati ac ecclesiasticis personis, secularibus et religiosis, capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Camaldulensis, vallis umbrose, sancti Benedicti et Augustini et aliorum ordinum nec non a magistris et preceptoribus domorum militie templi et hospitalis sancti Johannis Jerosolymitani, sancte Marie Theotonicorum et Calatrauensium partium predictarum et contradictores ipsius domini pape auctoritate per nos vel per alium aut alios, appellatione postposita, compescendi, concessit plenam per suas litteras facultatem. Cum igitur auctoritate concessionis hujusmodi vobis et decano et capitulo ecclesie vestre et clero civitatis et diocesis Brandeburgensis exemptis et non exemptis pro nostris procuracionibus presentis anni centum quinquaginta marchas boni et puri argenti ad pondus Colonienſe duxerimus imponendas, paternitatem vestram monemus, vobis tam predicta, quam ea qua fungimur, auctoritate precipiendo mandantes, quatenus predictas centum quinquaginta marchas infra unius mensis spacium a presentatione presentium, quem vobis pro primo, secundo et tertio termino peremptorio assignamus, vestro, decani, capituli ac cleri predictorum nomine per nostrum specialem nuntium nostro periculo deferendas nobis transmittere procuretes ac camere nostre assignari, ubicunque fuerimus, integraliter faciatis. Alioquin vos ex nunc, prout extunc ab ingressu ecclesie suspendimus in hijs scriptis, et si forsitan hujusmodi suspensionem per decem dies animo sustinueritis indurato, extunc a pontificali officio suspendimus in hijs scriptis. Quod si per alios decem dies hujusmodi suspensionem duxeritis tolerandam, nos exnunc, prout extunc, in scriptis eisdem excommunicationis vinculo innodamus. Ceterum quia nolumus, quod vos ex solutione dictarum centum quinquaginta marcharum, quam nobis feceritis, dampnum vel gravamen aliquod incurratis, et quod in illarum contributione aliqui ultra vires et debitum aggraventur, presentium vobis auctoritate committimus, ut deum habentes pre oculis predictas centum quinquaginta marchas a decano et capitulo ac clero prefatis a singulis videlicet exemptis et non exemptis, consideratis eorum facultatibus diligenter, pro rata suorum proventuum cum justis et moderatis expensis, quas vos propter hoc subire contigerit, petere ac recipere, contradictores quoque ac rebelles, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescere valeatis, ita tamen, quod vos pro rata vestrorum proventuum contribuatis etiam cum eisdem. Nos autem vos, si amplius quam centum quinquaginta marchas et expensas predictas exegeritis vel receperitis et pro parte vos contingente non contribueritis, penas et sententias incurrere decrevimus supradictas. Has siquidem litteras in registro nostre curie ad cautelam fecimus registrari, de quarum presentatione lateri presentium, nuntio nostro jurato, dabimus plenam fidem. Datum Basilee, VII. Kal. Octobr., pontificatus domini Honorii pape nostri anno secundo.

Nach dem Originale.

**CIX.** Der Propst Heidenreich in Brandenburg erlaubt, daß der Pfarrer in Neuendorf mit seinen Söhnen gewisse jährliche Einkünfte in Schmerzke kaufen darf, im Jahre 1286.

— Heidenricus, dei gratia prepositus ac communis conventus Brandeburgensis ecclesie — notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod Jacobus, filius Heinrici Crudonis, quedam bona in villa Smerzich, videlicet V. choros partim siliginis et partim ordei,

insuper V. talenta denariorum vendidit domino Conrado cappellano nostro dilecto, plebano in Niendorp ac pueris suis, que inquam bona prefatus Jacobus a reverendo patre ac domino Gebhardo Brandenburgensis ecclesie episcopo, tenuit hactenus jure feudali. Cum autem nos et ecclesiam nostram nunc hujusmodi contingat collatio, nos de communi nostri consensu capituli predicto domino Conrado plebano in Niendorp, ac filiis suis Dengero, Nicolao, bona predicta, videlicet V. choros partim siliginis et partim ordei, insuper V. talenta denariorum contulimus suis temporibus possidenda ac usui mancipanda, sic quoque, si una memoratarum partium moritur, ante aliam, reliqua que super vixerit, ipsos redditus ad tempus percipiet vite sue. Nihil autem de bonis jam prehabitis transibit per decessum jam dictarum partium proprios ad heredes. Ut autem ante dictorum virorum venditio, emptio ac nostra collatio firma ac inconvulsa permaneat, presentia sigillo nostri capituli decrevimus sigillari post nostrum obitum minime valitura. Testes sunt dominus Dhengerus viceplebanus Brandenburgensis, Rogosen monetarius, Henricus magnus, Wilhelmus scriptor, Johannes Monkesberge, Reynerus de Tremme, Waltherus de Camerwode. Actum et datum Brandenburg, anno gratie M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXXVI<sup>o</sup>. III<sup>o</sup>. (Das Datum fehlt, wegen einer Lücke in der Urkunde.)

Nach dem Original.

CX. Der Bischof Heidenreich vereinigt die Kirchen in den beiden Dörfern Langherwisch, am 23. Juni 1287.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Injuriatur memorie frequenter oblivio. Longinquitate fit sepe temporis, quod res clara presentibus reddatur obscura futuris. Quare adversus oblivionis dispendium de scripture suffragio providit industria sapientum. Hinc est, quod nos Heidenricus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, recognoscimus et tenore presentium in publicam volumus notitiam devenire omnibus ipsarum auditoris continentiam seu visuris, quod ecclesias ville Langherwisch, pertinentis ad mensam prepositi et capituli nostre ecclesie, et alterius ville Langherwisch dicte similiter, ad terram Beliz pertinentis, de maturo consilio univimus et uniendo conjunximus, ita quod dicta ecclesia Langherwisch ville dominorum nostrorum predictorum pro matrice ecclesia ab omnibus habeatur, reliqua vero ecclesia Langherwisch alterius ville tanquam filia a nexu dicte matricis ecclesie nullatenus separetur, provide statuentes ac de speciali gratia indulgentes, ut post decursum vite presentium plebanorum dicte ecclesie, per nos unite, cum suis emolumentis et fructibus ad dictos dominos nostros pertineant pleno jure et mense deserviant eorundem, id censentes equum et debitum, ut, qui sub candore vite et habitus famulantur in sanctimonia Jhesu Christo ejusdem patrimonio consolatione debita non fraudentur. In cujus rei evidens testimonium presentes de certa nostra conscientia conscribi et sigillo nostro fecimus communiri. Datum Brandenburg, per manum Ludolfi curie nostre notarii, anno gratie M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXXVIII<sup>o</sup>. IX. Kalendas Julii in vigilia beati Johannis baptiste, pontificatus nostri anno primo.

Nach dem Original.